

vitam habeatis aeternam. Quapropter vobis tale dono consilium, quatenus deinceps hoc vitium et tantum scelus vitetis et per occultam paenitentiam confitendo alterutrum peccata vestra et pro invicem orando illud penitus emendetis, ne subito morte praeoccupati nullus esse possit paenitentiae locus ac per hoc fiat, ut ex hac luce miserabili exitu migretis et perpetuas gehennae ignis poenas dupliciter possideatis.

Praeterea namque iterum fraternam dilectionem vestram hortor, ut, si quid contra voluntatem Dei fecistis aut neglegentes de vestro ministerio in aliquo fuistis, id cum omni studio emendetis et ea operemini et facite, quae Deo placita sunt; in primis, ut ecclesias vobis commissas fideliter custodiatis et procuretis, id est: in constructione, in luminariis, cruce, capsis, linteolis, libris et aliis rebus ad ea pertinentibus; vestrasque mansiones iuxta ecclesiam constituatis¹, atque nocturno tempore surgentes ecclesiam cum timore et reverentia intretis; matutinales orationes et laudes Deo reddatis. Eodem modo omnem cursum competentibus horis, si fieri potest, cottidie in ecclesia persolvatis; si vero huius saeculi curae vos impediunt, quod ita distincte hoc peragere non licet, non tamen ullo modo neglegatur, nisi semel fortassis compleatur.

*fol. 126. Missam *sobrie, sicut competit, celebrate, non vaga mente neque per ecclesiam interim huc illucque aspicientes, sed magis tunc illud psalmistae ad memoriam revocantes: 'Averte² oculos meos, ne videant vanitatem'. Scire procul dubio vobis convenit, quod, dum haec agitis in obsequio tanti mysterii, quo conficitur corpus et sanguis domini nostri Ihesu Christi in salutem populi sui, sancti angeli vos circumstant Deo apertis oculis conspiciente, 'qui³ non dormit neque dormitat, cui⁴ omnia nuda sunt et aperta', quod honorifice hoc expleatis opus. Porro si quis nostrum coram episcopo vel rege aut aliquo potente missarum sollemnia vel aliud aliquid agere deberet, hoc cum magna diligentia fieret, ne aliquid huiusmodi in nobis reprehenderent. Multa magis prudens diligentia debetur in conspectu Dei, qui nobis retribuet, secundum quod meremur, sive bonum sive malum. Tunc quoque ad preces vestras caeli aperiuntur, quod est magnum donum et ineffabile sacramentum hominibus adhuc in terra manentibus tanta gratia concessa. Evangelio itaque perlecto, quemcumque

1) So Coll. XII part. IX, c. 256 (cod. Savig.); 'constitutas' cod.
 2) Psalm. 118, 37. 3) Esai. 5, 27. 4) Ebrai. 4, 13.